



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**In Canonem Sacrificii Missae, Vti & reliquas eiusdem
Partes Brevis Ac Lvcvlenta, & ad pietatem vtilis Expositio**

Veken, Frans van der

Coloniae, 1644

§ 5. De prima Oblatione, Suscipe Sancte Pater

urn:nbn:de:hbz:466:1-9878

*De prima Oblatione, Suscipe
sancte Pater.*

HAEC Oblationem diximus institutam pro peccatis; idq; eius verba sufficienter declarant. Dirigitur ad Patrem, non ut est nomen Proprium primæ Personæ: sed ut toti Sanctissimæ Trinitati commune, eius erga creaturas rationales potentiam prouidentiamq; designat. Nihil enim hic ad acceptancem illam notionalem nos cogit: è contrario autem non in proprietate solius primæ Personæ; sed in titulo omnibus communi, nempe suprema excellentia, §. 2. explicata, fundatur debitū supremi cultus, quod creaturæ per oblationem Sacrificij Deo perfoluunt.

Porrò adiuncta, *Omnipotens, aeternus Deus, & postea, tibi Deo meo vino & vero,* illam Dei excellentiam nostramque subiectionem inculcant; sicuti hæc etiam quæ subduntur, pro innumerabili.

bilibus peccatis , offenditionibus ac negligentijs meis : peccata enim nostro titulo subjiciunt hominem Deo ; non solum tanquam artifici opus , quod de te nihil habeat : verum etiam tanquam Iudici reum , qui præterea omnibus bonis indignus , malis vero dignissimus existat.

Sacerdos itaque ad hæc mentem reflectens , generalem præxim. §. 2. traditam , præsenti Oblationi speciatim applicet , atque cum viua fide diuinæ excellentiæ in titulis antea enumeratis fundate affectum interne submissionis , ac præsertim de peccatis contritionis coniungat . Cùm vero finita oratione hostiam tanquam iam Deo sacram in altari deponit , se quoque in perpetuum eius Numini consecratum deuotumq; agnoscat .

Id superest animaduertendum , quod Sacerdos h̄ic offerat panem , non suæ substatiæ gratia : sic enim non est digna hostia , quam Deus præ sacrificijs anti-

quæ Legis ad totius mundi expiatio-
nem salutemq; suscipiat. Sed propter
Christi corpus, in quod paulò post per
verba Consecrationis conuertetur.
Quia enim illud est vera hostia , quæ
sub eiusdem panis accidentibus in Mis-
sa offertur : hic panis per anticipatio-
nem dicitur hostia , & tanti per obla-
tionis cæremonias subit , donec illud
succedat. Decebat quippe, vti pluribus
dictum §. i. tanto Sacrificio aliquem
Oblationis apparatum præmitti : cùm
verò illum obire non possemus circa
victimam ipsam, vtpote que ante Con-
secrationis verba , quibus sacrificatur,
nobis præsens non esset, restabat vt di-
cta substitutione vtentes, manibus qui-
dem offerremus panem , sed animo in
veram hostiam mox successuram in-
tentio.

§. VI.

De mixtione Calicis.

Post oblatum panem præparatur
Ca-